

hacratione extincti adolescentis: qui multo
meraco epoto, supinus in habitaculo quo-
dam dormiebat. Huic serpens, Arges appel-
latus, in os ingressus est: & sanè cum sensisset,
& loqui non posset, dentibus stridit, & ser-
pentem devoravit, & dolore magno teneba-
tur, & manus prætenfas adhibebat, velut qui
strangularetur, & iactabat seipsum: & con-
vulsus mortuus est. Plura recensere nostri
neq; instituti, neq; professionis nostræ est.
Vnum atq; alterum allegare placuit: ut occa-
sionem haberemus significandi Discursum
quendam singularem medicum, qui crastinâ
die Mercurij, DEO volente, in Auditorio Ma-
jore, de hac ipsa materia instituetur à Nobi-
lissimo, Clarissimo & Experientissimo viro,
Dn. MELCHIORE SEBIZIO Juniore,
Medicinæ Doctore, & Professore in hac no-
strâ Academiâ celeberrimo: Collegâ, fauto-
re, & affine meo plurimum honorando. Hic
enim in simili quodam exemplo adolescen-
tis illius, cuius funus superioribus diebus
publico Programmate fuit indicatum: ali-
quantò diligentius & accuratius tale mortis
genus considerabit: ac de duobus potissi-
mum differet capitibus. Primò circa illud
SUB-

28

SUB-